

05

A

1335





D. T. O. M. A.
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DE

MELANCHOLIA

SEU

DELIRIO TRISTI,

Consensu Gratios. Facultatis Medicæ VVittebergenſi,

Sub PRÆSIDIO

RECTORIS MAGNIFICI,

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXPERIENTISSIMI

DN. CONRADI VICTORIS
SCHNEIDERI,

Phil. & Med. Doct. & Prof. Publ. longè Celeberrimi,

Ejusdem Facultatis Senioris Venerandi, Potentiff.

Electorum Saxon. & Brandenb., nec non Princip. Anhalt.

Medici felicissimi,

Domini Patroni, Præceptoris ac Promotoris mei religioſiſſimè colendi,

Pro

L I C E N T I A

Impetrandi Honores & Privilegia in arte Medica

Doctoralia

Publico Examine submitte

M. CHRISTIANUS Vater / Jüterbog.

Ad D. Januarij A. C. M DC LXXX.

Horis ante & pomeridianis.

WITTENBERGÆ,

Ex Officinâ CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

DSSERTATIONEM IN AGRICULTURAM

MELANCHOLOIA

DEBILIO TRISTITIA

DN CONRADI VICTORIS



505 A

M. CHRISTIANUS



Mnino boni Medici officium est, ad animum aliquando curationem dirigere, uti gravissime monet Magnificus Dn. D. Præses, Præceptor meus ac Patronus æternum venerandus L. d. Catharr.

specialiss. p. 182: Non solum indirectè & per accidens, corrigendo & præservando organa, quibus anima ad exercendas operationes suas utitur; Ita enim toto die omnia corporis bona malave redundant in animam, & quæ mentem fatigant, vel delectant, inveniunt ad corpus; sed quoq; directè & per se, citra respectum ad corpus, ipsi anime medicinam præbendo. Ita quidem est, plerumq; habitus corporis pravus mentis mala præcedit; unde illius potius, non hujus cura à Medico habenda: Aliquando tamen, nec raro evenit, mentem sibi fingere anxietates, torturas, dolores, tristitiam, invidiam, odium aliq; patibemata, innoxio prorsus adhuc corpore, quæ tamen, si diutius eidem inhaereant, & nec ratione, nec divino præsidio superentur, non solum mentem ipsam, sed etiam corpus gravissime alterare & convellere possunt. Ibi sanè non tam corporis quam mentis cura requiritur. Sapientes sive Philosophi aliorum animi morborum rationem habent; Ad Medicum spectat, si in ægrotos ab imaginatione & ratione depravata laborantes, incidit, ut inveniat stratagemata, & rationes; η Διδ' λόγου ἡρεσπεία η τῆς ἀλυσίας τῆς ψυχῆς nonnunquam necessaria; de qua plura lege apud Tom. Reines. Var. Lect. l. 3. c. 6. Guern. Rolf. Meth. Med. spec. l. 14. f. III. C. 17. seq. Et hoc est quod Medicus nunc symphoniam admovere, nunc picturas amovere præcipiat; Eos, qui se capite, ventre suris; vita carere, alios qui se ranas, vel serpentes in ventre fovere, aut naso monstruoso se præditos ineptè credunt, nō nisi industriis & argutis stratagematibus fallat & sic sanitati restituat, uti in eo multus est ipse Hippoc. l. 7. Epid. & Galen. d. tuend. Sanit. Et digni profecto mentis affectus, ut plenius tandem expedirentur, unde tot morborum cura longe felicior speranda: Quæ prorsus ratio fuit, quare ex his potissimum, triste sc. delirium, Consentiente Amplissima Facultate Medica, loco Inauguralis Dissertationis, ad examen revocare placuit, Cui cæpto ut Numen Divinum favere velit, humillimis ac supplicibus rogo precibus!



CAP. I.
Natura Melancholiæ.

S. I.

Origo.

Melancholiam inter affectus, qui à causa nomen habent, pertinere novimus è *Galen.* 3. loc. aff. c. 7. & 2. meth. med. c. 2. Erat enim Veteribus duplex humoris genus bili, pituitæ & sanguini oppositum, respondens, ex eorum mente, elemento terræ; Unum excrementitium naturale, lege naturæ è cibis terrestrioribus, sicciorebus & frigidioribus in secunda concoctione & quidem in liene ultimato elaboratum. Alterum excrementum præternaturale, ex humoris illius melancholici, sanguinei & biliosi nimia adustione genitum. Utrumq;

Triplex vocis acceptio.

ob terrestreitatem, siccitatem, opacitatem, nigredinem *μελανχολία*, quasi *μέλανα χολή*, atrabilis communiter vocabatur. *Sennertus* tamen L. I. Pract. p. II. C. 8. atrabilem ab humore melancholia, *μέλας χυμός* aliis dicta, distinguendam esse monet. Indeque affectus noster, quia à primo genere oriri ipsis videtur, melancholia, *νόσημα μελανχολιδόν Hipp.* 1. 6. aph. 36. audit, quæ quidem denominatio à Græcis Veterioribus & ipso *Hippocr.* 6. aph. 21. in latiori sensu etiã delirio maniaco tribuitur. Retinenda hæc appellatio, ne novitas nominum confusio-

Synonymia.

nem pariat, ut ut minus causæ inferius reddendæ ratio habeatur: Non autem planè aliæ rationes, affectum hunc denominandi defunt: *Hippocrati* quodcumq; delirii genus *furor* dicitur, uti testantur *Holler.* Com. 3. aph. 53. *Forest.* 1. 10. obs. 20. in *Schol. Prosp. Alpin.* method. med. 1. 10. c. II. Ab Eodem lib. *πεί γωνής* & *l. d. morb. mul. ἰδωε. l. ἰδωε. l. ἰδωε. l.* appellatur, forsàn quod succum melancholicum semper sero dilutum viderit. Idem affectus apud *Platon.* in *Phædr.* est *furor poeticus* & in *Theæteto* amentia, ubi alii se Deos, vel aves putare dicuntur. Hanc amentiam *Gal.* 2. d. simpl. diff. 3. c. 3. *miō-naricis paralyfin* appellare fœvit. Confer. *Fernel.* 1. 5. pathol. c. 2. *Sennertus* appellat fatuitatem è *Capivaccio*; Commodissimè *Delirium triste*, si naturam affectus respicis, appellaveris. Germ. die *Schwermütigkeit* / *Melancholische Traurigkeit*.

Definitur à S. 2. Atque hoc est delirium, sive despicientia sine febre & furor-forma, disse-re, sed cum timore & tristitia à facultate imaginativa & rationali derētia & cau-pravata dependens. Qua ratione est symptoma, consistens non in im-minu-

minutione, aut abolitione, sed depravatione, non solius imaginationis; *Symptoma.*
qua species & notiones à sensu vel memoria oblatae perperam concipi-
untur, malè componuntur, confunduntur, dividuntur; sed & rationis,
dum sub eadè forma incongrua & absurda suggeruntur, adeoque à men-
te & voluntate conceptus & passiones non nisi ridiculæ, impertinentes
& rationi nullatenus consentaneæ eliciuntur, Sola imaginatio læsa
aut depravata nondum Medicis delirium appellatur, sed si phantasie de-
pravatae demum consentit vis ratiocinandi, ita ut omnia, licet falsò im-
maginata, verissima tamen esse sentiat, concludat, & juxta hæc agat, mo-
veat, loqvatur. Secus ac in vertiginosis, quorum quidem phantasia
objecta circumgyrari credit, minus autem ratio consentit. Idem con-
tingit non rarò in iis, qui ex Melancholia hypocondriaca laborare inci-
piunt, timent ac moerent per intervalla sine omni ratione, tamen
adhuc optimè concludunt, timorem & mœstitiam esse planè vanam &
inanem.

*Delirij ratio
formalis.*

*Imaginatio
sola interdù
læditur.*

§. 3. Quemadmodum autem imaginationis secundum naturam con-
stitutæ, munus erat, rerum sensibilibus secundum qualitates sensiles, tum
proprias, tum communes, simulacra formare, & ex circumstantiis, secundum
quas inter se convenire aut differre reperiuntur, notiones ac conceptus
plane novos elicere. Ita hic secundum utramque fit læsio admodum
insignis; secundum illam omittuntur, prætereuntur circumstantiæ in
rebus ipsis existentes, nec rite accurate & ex omni parte, quin potius
vel plane non, vel confuse examinantur, inter se conferuntur ac præsen-
tantur; secundum hanc affinguntur iis, quæ revera absunt præter &
ultra sensuum externorum; quibus tamen solis menti innotescunt,
testimonium.

*Imaginatio
quid?*

*Ejus læsio in
Melancho-
lia.*

§. 4. Neque solum error in rerum sensibus externis percepta-
rumeognitione & observatione, hinc notionum primarum secunda-
rumque formatione subsistit; quin etiam phantasmata illa tantum ab-
surda & incongrua intellectui objecta tum intellectus, tum voluntatis
conceptus & passiones non nisi ridiculas, absurdas & impertinentes
eliciunt omnesque actiones corporis fere tantum irregulares edi faciunt.
Memoria tamen raro hic deficit, nisi forsitan à natura infidelior facta,
ægrî plerumque etiam in paroxysmo recordantur præteritorum, carmina
& cantilenas, quibus alias delectati, componunt & canunt. Confer
Sennert. l. c.

*Ratio deprava-
ta.*

*Memoria
plerumq;
integra.*

Delirium melancholicorum est varium.

S. 5. Tam varia melancholicorum sunt deliria, ut immensi operis actus foret, omnes eorum conceptus, mores & gestus referre. Plurimi se vita defunctos credunt, ac propterea alimenta & omnium hominum consortium fugiunt, respuunt ap. *Forest* l. 10. *Observ.* 7. s. *Holler.* de morbis intern. l. 1. c. 17. *P. Zaccb.* quaest. medic. l. 2. *Tit.* 1. quaest. 9. *Manl.* l. d. med. p. 744. seq. Alius bibere recusabat, verens ne, cum è luto constare sibi videretur, humore dissolveretur ap. *Arcturum* l. 1. d. diurnis aff. c. 6. *ALaurent.* l. d. melanch. c. 7. p. 29. Plebejus quidam publico abstinebat, verens ne nasus, quem sibi in ingentem magnitudinem exerevise imaginabatur, à transeuntibus concutiretur, referente *Barthol.* hist. rar. An. C. 1. 69. *Lemn.* d. Compl. l. 2. c. 6. *ALaur.* l. c. *Camer Syllog.* memorab. c. 4. *Forest.* L. c. Alter semen milii se esse opinabatur, verens ne à Gallinis absorberetur *G. Gvazzo* d. Civ. conyerf. l. 1. p. 10. Nobilis quidam Senensis nullo modo persuaderi poterat, ut urinam redderet, cum totam urbem exinde diluvio perituram crederet. vid. *Marc. Donat.* hist. med. mir. C. 2. Cl. Sic Anglus aliquis megere nolebat, ne sanguinem omnem excerneret *Barth.* l. c. hist. 79. Et Mulier credebat aliquando se digito suo totum orbem gestare, teste *Alex. Trull.* l. 1. c. 17. Quam plurimi se DEos, Angelos, Diabolos, Reges, Principes, divites, egenos, damnatos, beatos &c. falso opinentur: Et quis omnes eorum aberrationes & absurdas delirationes cogitando comprehendere, non dicam sermone recensere, aut certis classibus includere posset? Adeat L. C. Autores jam citatos iisq; jungat *Sennert.* Pract. Med. L. 1. p. 11. c. 8. *Schenck.* observ. Med. l. 1. d. mel. *Nicol. Tulp.* Obs. med. l. 1. *Herc. Saxon.* pract. l. 1. *Henric. ab Heer.* obs. med. Oper. rar. *Fel. Plater.* L. 1. obs. M. *Roland.* Cent. 2. cur empyr. *Joh. Gværc.* Diet. poly hist. S. 1. c. 9.

Non semper delirant quoad singula.

S. 6. Non autem opus ut ejusmodi delirantes quoad Singula aberrent: Deliria fiunt quovq; circa singularia; sic Vir haut ignobilis quondam sedebat Argis in Theatro vacuo & videbatur sibi admirabiles Tragedos spectare, de coetero omnia vitæ munia ritè & prudenter obibat; erat vicinus bonus, advenis & extraneis hospes benignus, in uxorem comis, erga servos indulgens. Puer ap. *Sennert.* ex *Huart.* *Scrutin.* ingen. C. 5, in eo solum delirabat, quod se totam mundi monarchiam crederet, coeterum optime sanus. Et Mercator. ap. *Forest.* l. c. obs. 15. ad extremam inopiam se redactum conqverens, in reliquis optime ratiocinabatur.

S. 7. Sunt

§. 7. Sunt tamen in quibus melancholici conveniunt; abest sc. *Sine febre.*
 febris, ut ut non impossibile, quod melancholiam aliquando antecede-
 dat, modo sequatur, vel etiam comitetur febris; ea tamen non est de
 natura melancholiam, adeo ut hæc sine ista existere nequeat; sed pro rati-
 one cacochymiam forsan conjunctam, febris quæ varia & adesse & abesse,
 imo causa melancholiam remota existere potest, quod inferius demon-
 strandum. Historias melancholicorum febricitantium refert *Forest.* l. c.
 obs. 7. in Schol. Abest pariter furor, ferocia, vehementia & audacia;
 non enim facile in se ipsos aut alios sæviunt, quod Maniacis proprium,
Sine furore.
 nisi cum aliquando ita invalescit indignatio, ut anima prorsus in furo-
 rem agatur: observatur idem non raro in phrenesi, & spectat ad *tristitiam.*
 Aut etiam melancholia in maniam planè abit, quod quam
 facile fieri queat, ex inferius dicendis patebit. Potius & plerumque; ti-
 mor ac moestitia, aut certè pertinax, intenta & quasi cum animi angore,
Potius cum timore ac moestitia.
 falsa licet, torquet cogitatio, lucem fugiunt ægri hominumque; conver-
 sationes, & velut in persecutionibus infortuniis & similibus etiam amici
 loquela fastidiosa, & ad majorem fere animæ indignationem aut la-
 mentationem ansam dat, ita hic, quicquid etiam alias amicabile fuit,
 velut inimicum, difficillimum, aut horrendum recipitur, nisi forsan
 aliquid sit, in quo eorum anima præter spem & rationem sæpius dele-
 ctetur. Confer. B. D. D. *Sennert.* l. c. *Rolfinc.* Epitem. Cogn. & Cur.
 morb. c. 17.

CAP. II. Subjectum.

§. I.

Melancholiam ad animam rationalem spectare, nemo est, qui du-
 bitet, intellectus enim simul & phantasia depravationem
 importat. Mens autem & intellectus nullo modo organicus;
 Sed Phantasiam quoque non privatæ alicui corporis parti, hunc in fi-
 nem ita conformatæ, alligatam, quin potius cuncto corpore cum ani-
 ma diffusam esse, dudum *Fort. Licet.* d. Animar. coextensione corpori
 L. I. C. 15. & hinc *Magnif. D. D. Praeses* d. vera facultatum principum
 fede L. III. Cap. 4. sufficientissime ostenderunt. Et Revera rem ac-
 curatius pensitanti nunquam satisfaciunt, quæ communiter de
 constitutione cerebri & spirituum ad felicem phantasiam, nec non me-
 moriam

maioriam huc usq; afferuntur: infinita penè phantasia æq; ac memoria est; quibus quæso spatia formantur & continentur hæc, quibus sedibus ita disponuntur ac ordinantur, ut etiam unumquodq; separatim & cuncta confertim & singula ordinatim promere, cogitare ac digerere possimus? Confer. Clarissimus Sylvius Pract. l. 2. C. 14. seq.

*Subiectum
principale
verum.*

§. 2. Nihil obstat, cur non ipsam animam, quoad vim imaginandi & ratiocinandi cuncto corpore diffusam, principale & primum Melancholiam subiectum denominare sustineamus. Melancholia non de Cerebro solum læso, sed alio quoq; membro condolente, aut vitiato, imo sine omni cerebri totiusq; corporis vitio, ex solis animi pathematibus non raro nascitur, iisque Sublatis citissime tollitur, uti accuratissima & longinqua experientia cognovit *Magnif. Praeses*, & nobis quoq; paulo post exemplis demonstrandum erit. Nec enim omnino ab omni læsione immunis est anima, quod procul dubio ipsa Cui sententia vult, Cujus meminit *Galenus*; d. loc. aff. c. ubi Melancholia quidem cerebrum affici dicit, d. non secundum corpus, quin potius secundum mentem. Pati nescit anima & tamen patitur, non solum per accidens, & indirectè, ob læsionem organorum: Intra se sapius diffidet in corpore latens, experitur vexationes, torturas formidines, anxietates, indignationes, conscientiam remorsus, aliaq; ejusmodi solius animæ pathemata, etiam re nulla extrinsecus movente, quæ si diutius eidem inhæreant, & nec ratione, nec divino præsidio superentur, quidni mentem adeo perturbare possent, ut nihil rationi conveniens suscipiat agatq;, quin imo demum corpus quoq; in consensum trahat illudq; cruciet & alteret, quæ omnia mox pluribus patebunt. Vid. F. O. Grembs Arb. Integr. & Ruin. L. II. C. I. §. 4.

*Anima Cor-
pori juncta
compatitur.*

§. 3. Sed tenendum, non animam à corpore contagine per mortem separatam, sed eidem corpori adhuc junctam ejusmodi passionem & compassionem competere. Utriusq; Symparhia tantam est, ut separatim vix lædi queant; mentis mala transeunt ad corpus & quæ corpus fatigant, ad mentem redundant. Profecto, si mens hominis curis ac sollicitudinibus vehementius affligitur, homini melancholiam vel aliud delitii genus, corporis habitu nondum depravato, nec sanguine cachectico, conciliare potest, quamvis fieri non possit, cum Melancholia instantior existit, ut habitus demum corporis in pejus quoq; mutetur, animi corporisq; motibus tam prævis, spiritibus

tama

tam in ordinariè impulsis, vigiliis tam pertinacibus, cibis tam inconve-
enter, tam intempestive ingestis, aliisque in numeris commissis errori-
bus, ut mirum non sit, indigestiones & varia producta colligi, quæ
postmodum aliorum accidentium causæ occasionales existunt. Vice
etiã versa animæ potestates ab ente morbofo, organis impresso s. in-
fluo, ex accidenti pessundantur, vel in ataxian trahuntur, ut turpiter ani-
mæ Morbofis subiaceat entibus: à veneno furioso furorem concipit, ab
amenti demens fit, propter aliud tripudiat, ridet, lacrymas exprimit
aquas timet, feles vel canes imitatur, imo induit; omnes ideales propri-
etates sive à se fabricatas, sive per aliunde translatas.

§. 4. Non igitur corpus ejusq; partes hinc plane erunt exclu-
denda: Cerebrum est omnino pars illa, ubi animæ regimen præcipuè
animale eminens & illustrius exercitium reconditur; ab ejus læsione
oppidò deliria fiunt & in eo manifestantur, peraguntur. Hoc
sensu valet illud *Hypocratis* d. morbo sacro: Hac parte, scilicet Cere-
bro, sapimus, intelligimus, videmus, audimus, turpia & honesta co-
gnoscimus, ea ipsa insanimus & deliramus. Affici autem potest tum
secundum substantiam, tum secundum Spiritus, in quælibet primis
æque ac secundis. Inepte hic certæ sedes facultatibus principibus at-
tribuuntur ab Antiquis, ex quo nunc anticam, nunc posticam, nunc
utriq; interjectam cerebri mediam partem privatam & magis pro-
prium Melancholiæ subjectum fingunt. Fiunt Imaginatio & ratio
cinatio in quavis cerebri parte, ergo quocq; deliria.

*Subjectum
secundari-
um Cere-
brum*

*Non dantur
certæ sedes
facultatum
principum
in cerebro.*

§. 5. Nec absq; communitate cordis delirium melancholicum
feri credimus, siquidem non nisi per cordis & sanguinis motum mani-
festantur, licet non primitus producantur, animæ perturbationes me-
lancholicæ, timor, metus, tristitia, desperatio: Non dicam, per cor-
dis intemperiem totam aliarum partium temperiem facillimè
corrumpi ac depravari posse. Videatur *Mercuri* l. 1. c. 10. prælect.
Quidni etiã in ventriculo & Hypochondriis, in quibus *Helmontii* pri-
mario animæ operationes adeoq; etiã deliria fieri credit; Imo to-
tum corpus, ubicunq; imaginatio & ratio præsens, adæquatam me-
lancholiæ subjectum denominandum.

Cor.

*Hypochon-
dria
Totum cor-
pus.*

B

GAP.

Causa proxima.

DEffluxit inter hæc sermo ad causas, quarum proxima nobis est facultas imaginativa & rationalis depravata: Animæ potestates varix requiruntur, cum sit radix omnium actionem. Spiritus animales per se nulli sentiendi imaginandi, aut ratiocinandi valent; requiritur vis quædam sentiendi & iudicandi superior, quam cultior philosophia & medicina docuit, mentem esse facultatibus suis instructam, corpore cuncto diffusam, ubiq; operantem & dirigentem, prout organa & Spiritus aptè & naturaliter sese habent: Læsa igitur actione quædam, facultas quoq; quæ huic actioni præest, proximè & principaliter lædatur, necesse est: Est depravatio s. affectus hic velut habitus heclicus tristitiæ similis, aut ipsa tristitia gravior & in excessu peccans, prout è contrario in Mania est habitus iracundiæ similis. Heclicus merito dicitur propterea, quod is in melancholia perfecta adeo inductus sit, ut non jam ex corporis quodam vitio pendeat, quemadmodum ex inflammatione cerebri, aut ex febre phrenitis, quæ ea remittente quoq; finitur; Sed permaneat etiam si corpus factum fuerit sanum & percuratum.

Idiosyncrasia animæ.

§. 2. Ita à natura comparatum, quod quilibet certis & peculiaribus animæ passionibus in vitam durabilibus laboret, quæ tamdiu intra animam gliscunt, usq; dum per imagines sensuum ad interiores deliberationes delatas, l. m. aliunde excitantur & in actum deducuntur. Tales in mente sunt habitus tristitiæ, lætitiæ, iracundiæ &c. Alter in alterum facillime abire potest, adeo, ut sæpe homo in medio stomacho ridens dicto citius evadere queat iracundus, vel tristis & vice versa: Inepte crederes humores tam diversos & natura profus contrarios, sanguinem sc. bilem, melancholiam converti, aut inter se tam cito mutari posse. Quicumq; habitus præter naturam insigniter auctus, vel depravatus existit delirium constituit, quemadmodum hic habitus tristitiæ nimis delirium constituit Melancholicum. Ejusmodi naturalibus mentis inclinationibus proximè adscribendum, quod deliria tam diversa etiam ab una eademq; causa proximiori in diversis hominibus producantur; quod alius: e.g. à vermibus Melancholiam, alius Maniam, alius Epilepsiam patiat, uti accuratissime docuit *Magnif. Præses præl. publ. de Mania.*

Unde deliriatam variis.

§. 3. Causa

§. 3. *Causæ mediatae proximiores querendæ sunt vel in alia* quadam Animæ facultate, vel habitu corporis læso. Hic monendum rursum, non corpus semper læsum requiri, modo facultas quædam undecunq; e. g. à gravioribus pathematibus lædatur, inde per Spiritualem consensum phantasia & hinc Ratiocinatio ita perturbari poterunt, ut vel Delirium; vel Melancholia oriatur. Scitissime *Wedel. phys. Med. d. Mot. anim. S. IV. l. 9.* Testantur in genere affectus de ratione, cujus arbitrio regere illos licet; *sind ἐξ ἑστῆς Διδυμοῦ* adsit, ut ad affectuum nutum nimium quantum feratur homo, eccentricitatem patitur intellectus, quod Veteres Phaetontis illa fabula prudenter expresserunt. Hinc melancholici fingunt se commisisse, quæ nunquam patrarunt. Excitantur quandoq; passionibus ab actione animæ solio sese ad hæc vel illa objecta profundius concipienda determinantis, licet frequentius ab objectis externis, qui sensus movent, eoque pacto sub specie boni vel mali afficiunt. Conferatur *Charleton Ex. Path. par. 19* Quomodo cunq; excitentur ejusmodi pathemata, dum hunc affectum producunt, non prius humoribus & Spiritibus alterationem inducunt d. immediatè ipsam animam turbant, & confundunt: Vid. *Celeber Sennertus præf. l. 1. par. 2. c. 9.* Nunc autem toto die experimur, species rerum, vel jucundarum, vel formidabilium visui, auditui & menti representari, sed citra corporis & spirituum alterationem: Sæpius ex Amore nimio, Ira, terrore, pavore, sensu injuriæ & similibus ex insperato natam Melancholiam testantur observationes innumerae; etiam in exacte sanis, sanguineis, it. Cholericis & Phlegmaticis alias dictis: Præclaram in hanc rem. *Herc. Saxon. fert sententiam: Nunc, inquit, sunt quidam qui accepto nuncio jucundo statim insanientes sunt redditi, in quo casu non possum dicere, causam fuisse vel humorem adustum, vel obstructionem:* quid peritius dici posset? Abiit sæpius Melancholia in Maniam & hæc in illam: Ipsi Melancholici nunc rident, nunc tristantur, nunc alios innumeros & absurdos mores gestusq; expriment, quorum omnium tam varias causas inaniter in humorum, vel spirituum læsione quæviseris: nullas qualitates occultas hic fingere opus.

§. 4. Galeni doctrinæ, qua cerebri humorum & spirituum nigredo, seu obscuritas unice & semper accusatur, dudum, non absque

Causa mediatae proximior duplex Facultas læsa,

Quid Spirituum nigredini hic præstat.

quo tenebrae cognosci possunt. Sed ponamus nos, quod phantasia peculiari modo operetur in corpore, citra visionis organon, & quemadmodum instante haemorrhagia narium homo per phantasiae vim videtur videre res rubras, ad eundem modum melancholicos atris humoribus infectos sibi videri cernere res nigras; inde tamen haut necessario tristitia aut pavor oritur; sicut nec hydrocephalo laborantes, quorum in cerebris largiter fluctuat aqua, aquas propterea horrent & expavefcunt. Non cuilibet nigra terrorem incutiunt, nec horret homo tenebras ob eam, quam habent, nigredinem, sed quia iis circumfusi, omnia suspecta habere solemus, quod à nobis tum objecta accuratè cognosci & dignosci nequeant. Multo minus inde consequens erit, ut vis imaginandi, & ratiocinandi ita necessariò depraventur, ut homo amicos officiosissimos, parentes indulgentissimos, pro inimicis habeat, aliaque tam absurda agat, loquatur. Ita ratiocinatur ipse Magnus Sennertus loc. cit. p. 342. *dispositionem illam praeter naturam non esse simpliciter opacam, ex eo patet, quod, si imaginationi eorum satis sit, sanitati restituantur, sicuti illi accidit, qui cum magnum nasum se habere putaret, sarcimine apposito & remoto convaluit, citra aliam corporis cum;* cujusmodi quoque Exempla inferius quam plurima allegabimus. Quid multa? Melancholia, seu ater & nigricans humor, pro ut vel à Veteribus ipsis, vel male intelligentibus eosdem asseritur, in corpore plane non datur, nisi humores serosi, fixiores, acidiores deturpati per hunc intelligantur. Conf. *Excell. Wedelius Physiol. Med. Sect. 3. C. 20. Amman. paran. ad discent p. 85.*

Habitùs Corporis pravus.

§. 5. Sed altera Melancholiae causa proximior est omninò habitus corporis pravus, isq; tam spirituum quam humorum & organorum. Et absolutè quidem nullum corporis vitium excludimus, quodcunque facultatem aliquam gravius laedere potest; Communi tamen Medicorum tam Vetustiorum, quam Recentiorum consensu, nulla spirituum aut humorum indoles morbosa facilius Melancholiam inducere observata, quam cum spiritus animales alias per naturam lymphidissimi, purissimi, mobiles & aetherei, ab aerea sua & volatili natura degenerant quasi in terream fixam & frigidam; à puritate in impuros, obscuros & deturpatos fuligines; à blanditie & dulcedine in acorem & vapescentiam. Cum enim spiritus animales primum ac proximum animae ad sensus praecipue externos expediendos organon sint, & ab illorum

torum statu, five naturali, five præternaturali, operationum quoq; perfectio, vel depravatio omnino dependeat; Confer *Wird. Med. spir. l. i. Swahv. Disquis. Therap. Gen. S. X. Willis, d. ferment. C. ii. Charlet. Exerc. Pathol. p. 2.* Ita hic eorundem defectus inter causas proximiores omninò argui potest & debet, Et quamvis (ne quid dissimulemus) nondum perfecte assequi liceat, quomodo hi Spiritus in tanta mentis perturbatione & confusione se gerant; quæ etiã difficultas non unum duntaxat, sed omnes omnino Philosophos & Medicos urget, uti conque-ritur *Clariff. Sylv. Pract. L. ii. C. XXX. d. Insomn.* Non tamen incongrue potissima ratio in Spiritibus hisce deturpatis; fixis & indolem acetosam induentibus posita videtur; utpote per quos cerebri compagem minus sufficienter irradiari; quin potius partes sensibiles cerebri & per consequens animam ipsam continuo irritari, concitari; species quoq; sensibiles omnes non nisi deturpatis formidabiles & horrendas menti representari, rationi & experientia admodum conveniens est. Vid. Ingeniosissimus *Willisius Pathol. p. ii. c. XI. de Melanch. Sylv. Pr. M. Append. Tr. VII. & IX.*

§. 6. Prout autem magis vel minus mobiles concentrati & agiles sunt humores in massa sanguinea, ita etiam spiritus variè imprimuntur. Causa igitur tum pravorum spirituum erit vel in sanguine vel in certis quibusdam corporis partibus. Requiritur spiritus animales & vitales pro pabulo & nutrimento sanguinem laudabilè spirituosum, dulcem & blandum, de quo videatur *Sylvius l. c.* Idem sanguis si à debita crasi & pneumatici desciscit & fixus, crassus, acidus, minus mobilis & inflammabilis evadit, spiritus quoque vitales & animales non nisi in fixitatem & acorem degeneres suppeditabit. Sed hic potissimum vitiosæ fermentorum in primis viis operationi debetur, cujus errores nec in secunda, nec in tertia concoctione corrigi, Autor est *Hippocrates*: Huc ergo facit saliva viscosa nimis acida ejusdem vitii notas cibus inter masticandum inrens: Ei succedit fermentum Ventriculi, vel ob dicto modo depravatam salivam, vel proprio vitio, aut inordinaria diætâ adulteratum & nimis acidum; bilis quoque nimis iners, viscosa & lenta, alcali suo acida dulcius reddere nesciens; & demum succus pancreaticus pariter acore & visciditate excedens; Singula conjunctim & separatim chyli spirituaſcentiam & digestionem impediunt, indeque præter cruditates ingentes, fixorum **S**ilium suppellectilem

*Causæ remotiores.
Humores.*

lem liberali manu exhibent. Confer *Sylvius* l. i. prax. c. ii. disput. Med. 5.

Partes.

§. 7. Nunc partes quoque corporis interdum huic malo fomitem præbent, non quidem, quod alicubi primario, & per se humores melancholicos exoriri credamus, quod Veteres potissimum de Liene,

Lien.

asserunt, quæ tamen sententia dudum à Recentioribus fuit rejecta, sed quia occasionem quamcumque Melancholiæ oriundæ præbere solent:

Mesenterii.

Est sane Lien (ut præcipuè de eo dicamus) bibulum viscus, quod æquè ac

Mesenterii particulas seri P reas, acidas, sylvestres facile colligit & evadit fons acidi, fons lixivi, fons S ilium, unde Melancholia vel excitari vel

saltem foveri quâ faciliè potest; Hinc quoque est, quod splene affecti observentur Melancholici, tristes, cachectici, sputatores, quamvis non semper

Caput.

reciproce. Nec caput semper innoxium; præcipuè intemperie frigida & sicca laborans eundem eadem characterem spiritibus imprimere potest. Sic Uterus

Uterus.

patitur obstructions & suppressiones mensium, unde sanguis inquinatur & in discrasiam melancholicam facile prolabitur. Ita de reliquis partibus ferendum iudicium.

Res naturales.

§. 8. Adhuc remotius se habent res naturales, non-naturales & præternaturales: Ex naturalibus est temperamentum, uno verbo, Melancholicum. i. e. in quo deficiunt N atus volatilitate, sanguis peccat

Temperamentum.

fixitate, visciditate & aciditate. Senectus decrepita non parum disponit ob calidi nativi, oleositatis balsamicæ, humidi nativi & spirituum

Ætas.

absorptionem; bis pueri senes. Quoad sexum viri proniores vulgò ad Melancholiam habentur, sed videtur cum *Hippocrate*, de Virginum

Sexus.

morbis, contrarium asserendum, ob ingenii imbecillitatem animiq; molliem, qua fœminæ præ viris communiter laborant. Constitutio & formatio partium, præcipuè cerebri, non planè nihil præstare videtur, siquidem observatum, in doles ac ingenia à cerebri & capitis conformatione quodammodo pendere: Crebro, licet non semper, ita evenire so-

Constitutio naturalis.

let, ut qui capite nimis depresso, vel acuminate, vel alias impropor-

Hereditaria.

onato insigniuntur, labe quoque notabili inficiantur. vid. *Willisius*

path. p. II. c. 10. Huc trahi debet dispositio hæreditaria, nascuntur enim

Pœta, vesani, versuti, acuti, stolidi & huic quoque malo admodum innoxii; Non parum est nasci parentibus, quibus quoque mens sana in corpore sano, siquidem qui parentibus senio fractis, nondum ætate

maturatis, ebriis, mollibus aut effœminatis nascuntur plerumque in-

genio

genio magno & liberali carent: Ratio est in promptu, non solum corpus effectum marcidum & torpidum sibi simile producit, sed etiam anima; (quæ potissima nobis hæreditariæ transplantationis causa videtur) hecico malo assuefacta ad similes affectus inclinantem animam sibi fabricare potest. Quidni malum tam spirituale transplantari posset, imò debet, cum proprio suo subiecto. vid. *Sylvius* prax. Med. l. ii. c. 16.

§. 8. Res externæ tam efficaces sunt in producendo hoc malo, ut etiam ab his solis omnes melancholias oriri credant Autores nonnulli. Ex non naturalibus primus nominandus est aer: qui maxime nocet frigidus, crassus, nebulosus & quem multi perflant venti australes; totus siquidem repletus est austeris acidisq; particulis, qui humores incrassant, utus figunt, concoctiones turbant variisq; modis lædunt; hinc quoque est quod Melancholia inter morbos autumnales & vernaes referatur teste Galeno 3. aphor. 10. *Hippocr.* 3. aph. 20. Victus crassus crudus & difficilis concoctionis, sibi similes crassos, lentos, & acidos succos gignit. Somnus interruptus, turbulentus animam & utus turbando; non rectè institutus eosdem torpidos & segnes reddendo, hic multum negotii faciecit. E contrario vigiliæ immodicæ & diuturniores cum profundis meditationibus & nimia animi intentione animam inquietant, exagitant, irritant, spiritus animales turbant, intemperies inducunt, cruditates augent adeoque mentis alienationem facillimè promovent. Motus immoderatus intempestive & statim à sumpto cibo institutus æque ac nimia pigritia, è vita sedentaria, cruditates cumulant, spiritus destruunt & obstructions huic malo fomitem præbentes creant. Excernenda si retinentur & retinenda excernuntur, semper noxium; nimis enim evacuationibus depauperantur spiritus, & fuetis evacuationibus suppressis cumulantur fuligines, putredines, impuritates &c. Confer *Celsus* l. 1. c. 3. Galenus 3. de humoribus C. 26.

§. 9. Animi pathemata si modum excedunt, mentem gravissimè convellere & ad Melancholiam, etiam citra corporis vitium disponere posse, supra asseruimus: præcipua a. hic sunt amor perditus, tristitia vehemens, terrores panici, Invidia, cura, pudor & nimia studia; Singula animam vehementer inquietant, somnum impediunt, humores exagitant, Spiritus & calorem resolvunt, digestiones & coctiones turbant aliisq; innumeris fere modis corpus & animam lædunt. De-

liria

Res nonna-

ales.

Aer.

Victus.

Somnus.

Vigilia.

Motus &
quies.

Excreta.

Animi pathemata.

liria ex amore venero & immoderato contracta vide apud B. *Sennertum* Lib. pract. p. 2. c. 5. *Galenum* præcog. ad Post. c. 6. *Valer. Max.* l. 5. rerum memorabilium c. 7. A nimia tristitia & desperatione ob amissa bona, processum iudicii aliaq; *Plater.* l. 1. observ. de mentis alien. A terrore, ob visum suspensi hominis, vel subitanei epileptici. *Plater.* loc. cit. A viso crocodilo, cadaveribus, spectris & similibus *Andr. Laurent.* Loc. supra citat. Ex invidia & Zelotypia *Valesc. de Taranta* Phil. l. 1. c. 13. *Plater.* l. cit. A nimio studio inveniendi lapidem philosophorum *Plater.* l. c. aliosq;

Res p. n.
A Phrinitide.

A Febribus morbis Chronicis.

A morbo Gallico.

Ab affectione Hypochondriaca.
A suppressione mensis.
Retentione seminis.
Venenis.

Causa supernaturalis.

§. 10. Multa pariter sunt in præter naturalibus quæ hic summa addunt *Γαβριελος μέγ.* S. : A longa phrenesi aut Anima ipsa aut Spiritus indolem vitiosam contrahunt, aut cerebri meatus pervertuntur, unde desipientia non raro perpetua, Melancholia, Mania, aut Morosis succedit; quibus vulgò fractum cerebrum dicitur. Febres alii-ve morbi diuturni disponunt, quatenus sanguinis sulphur diuturno incendio maximam partem deflagrant, Spiritus destrunt, concoctiones & digestiones omnes turbant, unde humores quicunqve acorem, viscositatem aliasq; in numeras dyscrasias facillimè contrahunt. A febre convalescentem Melancholicum vidit *Platerus* pract. de ægrot. c. 5. Emorbo gallico *Rodor. à Castro* Medic. polit. l. 3. c. 13. post peripneumoniam *Plater.* observ. l. II. de pectoris dolore: A septi transversa inflammatione *Hippocr.* II. de morbis text. 159. : A malo hypocondriaco *P. Zacchias* quæst. medico leg. l. 2. tit. 5. quæst. 9. à suppressione mensium in fœminis, retentione seminis, gestatione uteri *Plater.* pract. lib. I. c. 3. observ. l. I. *Cass.* *Cbaldar de Hered.* loco cit. A lochiis retentis *Thon.* l. II. obs. II. A venenis & philtris *Sennertus* pract. l. 1. p. 359: A Napello *Helmontius* l. III. de somnio *Helmontii*; Plura vid. apud Practicos.

§. 11. Agnoscimus sane quoq; causam melancholice supra naturalem, eo quod Spiritus impurus permixtu Numinis Divini hic exoptatissimam occasione nanciscatur miseris mortales ad desperationem, *δύτοχος* & alia gravissima peccata se ducenti. Unde etiam non vanè dictum, quod Melancholia sit balneum Diaboli: Sed eam nostram non facimus. vid. *Wierus* l. 4. c. 52. & l. 3. c. 9. seq.

CAP.

CAP. IV.
Differentiæ.

§. 1.

Differentiæ Melancholiæ habentur ratione generis, subjecti, causatum, temporis. Generis ratione quam maxime variat, prout ipsum delinium variare supra diximus. Sed præterea est vel hæreditaria, vel adventitia, simplex vel complicata & aliis affectibus juncta. Notabilis est errabunda, cui affinis est Chorea sancti Viti & insanus amor saltandi; illius notabile exemplū adfert Excell. D. Febr. Academia Nat. Cur. Præses Tract. de Chyso colla p 48; Quemadmodum a. in hac perpetuò vagantur, nescientes quo vadant, secum loquuntur, murmurant; Ita è contraratio in Attonita quasi stupidi certo loco affixi & immobiles hærent, jacentes se non erigunt, sedentes non assurgunt, stantes subsistunt, quasi cogitabundi ad quæsitæ non respondent, aliaque melancholicis communia habent; Exemplum tale refert B. Sennertus l. 1. part. 2. c. 14.

Ratione
Generis.

§. 2. Quot modis quoad causas proximiores variet, ex earum evolutione facta abunde datur intelligere. Notabilis est ex Amore oriunda, dicitur Amor insanus.

Causarum.

§. 3. Probe v. consideret Medicus & perspiciat, an & ubi aliqua corporis pars fomitem datura labore, an verò soli animæ impactum fuerit hecticum illud vitium. Alias nostro explicatu nulla idio pathica datur: Omnis fit vel ob consensum facultatum, vel ob corporis vitium, etiam quæ à Cerebro & in Cerebro læso fit; sc. à consensu facultatis sensitivæ, quæ ubi vis in corpore extat, & irritari potest, unde sensitiva vis interna & ratio demum ita turbari & depravari possunt, ut aberrent & delirent. Latere autem non raro fomitem in capite, hypochondriis, mesenterio, utero, imo toto corpore jam tum demonstratum fuit.

Subjecti.
Non datur
melancholia
idiopathica.

§. 4. Temporis ratione modo est recens, modo inveterata, perpetua, vel periodica, cujus mirandum exemplum extat in Ephem. Germ. Anno 2. obs. 51. de Nobili ad montis Rhetie radicem habitante: Sub initium veris & autumnus Literatus ille apud Franciscum Hildesh. splicil. de cerebri morbis 2. p. 155. sequenti delirabat tantum. Medicus Venetus eruditus quotannis solum sub canicula toto Mense commotabatur

Temporis

G

rabatur sub tecto metuens ne frangeretur, cum testaceum se esse crede-
ret, finito autem Mense ad mentem sanam & officia solita redibat. *Bar-
thol. cent. 2. hist. Anatom. 26.* Aliqui certis duntaxat temporibus,
aut aliqua anni tempestate, vel lunæ mutatione delirant: Mulieres sæ-
pe dum uterum gestant, vel pepererunt, vel per menses & lochia non ri-
te purgantur. Exempla habet *Platerus* locis cit. Rationes collige ex
causis.

CAP. V. Signa Diagnostica.

§. 1.

*Signa ratio-
ne Generis.
Incipientis.*

PRodit quidem se satis affectus hic insanis & deliris actionibus ge-
stibus, sermonibus; nihilo secius potiorum quorundam signorum
ratio curatius aliquantò exponenda, cum solus, is qui signorū cognitio-
nem habet, curati onem ritè aggreditur, effato Hippocr. *de ingress.* In-
cipientem & in prima herba latentem produunt solitudinis amor, taci-
turnitas torpor & abjectio animi citra rationem: Sedent proclives, o-
culis fixis, meditantibus; vigilant aut certe tumultuosè ac laboriosè dor-
miunt, crebris scil. pavoribus, terroribus ac trepidationibus admistis;
idq; ob tristiores & terribiles cogitationes, quibus anima eorum inhæ-
ret, quemadmodum etiam in exactè sanis interdum ob nimias curas &
anxietates, contingere solet. Non rarò quoq; antecedunt vertigines,
tinnitus & strepitus aurium, præcipuè, si ab humorum & Spirituum in-
quinatione & turbatione, uti in hypochondriacis, initium ductura
est.

Confirmata.

*Propria Ti-
mor & Me-
tus.*

§. 2. Sed confirmatam comitantur dicta symptomata omnia
in superiori gradu & eminentia partim essentialia & propria,
partim communia: De essentia ejus sunt timor & moeror ni-
mius, quem produunt aspectu torvo & tristi, taciturnitate, morositate la-
chrymis, suspiriis, querelis, desperatione, vitæ maledictione, solitudinis
& ipsius mortis desiderio &c. eaq; omnia citra evidentem, aut certè
ob levissimam causam.

Communia

§. 4. Communia circa actiones diversarum facultatum contin-
gunt; In naturali nutritio deficit, exsiccantur, extenuantur, & consu-
muntur, licet sæpe admodum voraces, ob tam inordinariè ingesta, vigi-
lias

lias, curas inquietudinesq; animi : Alvus plerumq; segnis, arida & sicca, præcipue si humores viscosi, acidi, fixi fomitem præbeant, & tunc quoq; urina pauca & acris. In vitali vires exhausto & absumpto ordinario spirituum & humorum alimento per continuas inquietudines egregie langvent, pulsus plerumq; parvi, invalidi, crebri. In animali maxima ubi vis anomalia, vigilia & curæ perpetuæ, somnus aut nullus, aut valde laboriosus & interruptus; oculorum nitor perit, ingenium hebescit, planeq; stupidi & morosi redduntur.

§. 4. Subjectum causæ propius signis innotescit : Fomes in *Subjectis* hypochondriis prædit symptomata hypochondriacis familiaria, quæ sunt hypochondriorum gravitas, tensio, dolor, flatus ventris, rugitus, ructus acidi, angustia & palpitationis cordis, vertigines, aurium tintus & similia. Si ab utero ortum duxerit, præter essentialia aderunt quoq; uterum concernentia, mensium vel lochiorum suppressiones, partus difficiles, hysterica passiones, dolores æstusq; in regione lumborum aliaq;. Eodem modo in aliis colligere medico prudenti erit facillimum.

§. 5. Hac ratione nec causarum diversitas latere potest; *Causarum* Sucus melancholicus, obstructions, inflammationes, plethora, animæ passiones & inclinationes se produnt ut forex : Ex amore Melancholici in specie pulsum & faciem mutant, præcipue si amici, vel amicæ mentio fiat, desiderium adest personæ amata, quod verbis moribus & gestibus exprimunt. vid. *Sennertus*. Atq; his probe notatus, non potest, quin ab aliis effectibus etiam maximè affinis facillime dignoscatur. A Phrenitide febris, à Mania furoris absentia discrepat.

CAP. VI.

Prognosis.

§. I.

Nunc ea signa notanda, quæ vel præmonent periculum, vel spem *Ratione salutis & mortis.* aliquam ostendere possunt; Absolutè nullum delirium tutum, ob partem affectam nobilissimam, quæ est anima, quæ deficiente universi corporis æconomia & vigor non potest non citissimè interire: huic accedit, quod sæpe non corporis sed mentis cura potius habenda: Sed quam difficile imperare animis? Judicium à præjudiciis vitiatum curatu admodum

modum difficile, & admissa semel præjudicia animo exuere, sæpe numero frustra laboramus *Sylvius*, prax. Med. L. II. C. XVI. Obstat quoque impatentia & errores ægrorum, item indicationes non raro contrariæ aliæque, quæ singula curam eerte difficillimam reddunt. Lethalis tamen per se nulla Melancholia, nisi simul alia mala concurrant, teste ipso *Divino Sene* lib. I. de Morb. Sect. 2. Cum non tam vitalis quam animalis, & rationalis œconomia patiatur. Levior quoque est recens & in qua per intervalla gaudia laboriuntur, indicat enim habitum hunc depravatum & tristem nondum penitus animæ inductum; Si contra, malum.

§. 2. Quo instantior & diuturnior, eò deterior, eo minus sanabilis, nam facultas quævis diutius abolita, vel depravata ægrè admodum redit in pristinum. Gravior ea quæ ob animæ potius, quam corporis læsionem contingit, hinc etiam à terrore melancholia profecta difficillima, iudice *Platero* & *Sennerto*: ratio jam est data. Pessima quoque à venenis & philtis, ob causam malignam & pertinacem. Sat gravis in fœminis, cujus rationem *Cous* reddit lib. de morb. virginum, quod scilicet mens earum magis dejecta sit. Quæ à parentibus in natum derivatur, difficillimam, si non plane impossibilem curationem exhibet; habet n. ea hic idem cum aliis affectibus à vitæ principiis insertis prognosticum, si ve namque ex ideis morbois animæ in generatione impressis, sive ex fermento quodam cum contagio seminis spirituoso translato sit congenita, perinde est, ubique ferè Medicina imbellis, teste *Hippocr.* sect. 8. Aphor. 6. & *Sennerto* loc. cit.: Aliquando tamen nativum iudicij vitium correctum ac restitutum esse testantur observ. Medic. vid. *Sylvius* prax. med. l. 2 p. m. 417.

Ratione tem-
poris

§. 3. Admodum diuturnus & chronicus est affectus, de quo merito illud *Lipsii* valèt: Affectos ab atra bile curat dies & quies. Perdurat sæpius in multos annos, vel etiam ad vitæ terminum comitatur, præcipuè si ab initio aliquantisper neglecta fuit: Brevi certè mora mentis depravationes in hecicum abeunt habitum, quem eradicare opus & labor est. Non dicam quod tum semper conjungatur *δισκαρσία* melancholica, fixa, pertinax & medicamentis, ne quidem generosissimis facile cedens.

Modi even-
tus

§. 4. Terminabitur ad salutem animæ tranquillatione lenta & satis facto quantum fieri potuit ægrorum desiderio, nec non humo-
ris

ais præternaturalis & melancholici, si quis adest, evacuatione. Hinc Hippocr. VII. Aph. 5. VI. Aphor. 21. Si insanis varices, hæmorrhoides, aut dysenteria superveniunt, fit solutio. Exempla habentur apud *Forestum* & *Hollerium*. Solvitur quoq; per scabiem, ulcera aliasq; evacuationes criticas & convenientes. Rarissimum est, quod ex hoc delirio indocti facti fuerint doctiores & ingeniosiores Exempla habent Rhafes, Gentil. de Incantationibus *Aristoteles* 30. probl. 2. *Huartius* Scrutin. Ingen. c. 7. p. 183.

§. 5. Permutatur non raro cum aliis affectibus, ut Apoplexia, fracta facil. & abolita facultate sensitiva & motrice; cum Epilepsia, irritata præterea ex pultrice naturali, cum Mania, magis ex acerbata & irritata facultate imaginativa & rationali. vid *Hippocr.* 6. Epidem. in fine. 6. Aphorif. 56. de morbis sect. 2. tex. 13. *Galenus* l. 3. de locis aff. c. 7. *Aræus* de causis diut. pass. c. 5. *Celsus* l. 2. c. 8. *Sennertus* l. 1. Pr. p. 2. c. 12.

CAP. VII.

Medendi Methodus.

§. 1.

SI alias subtilis Medicina scientia, certè in hac cura maxime difficili, intricata & longa, respectu causarum ejuſq; generis evidentium, procatarticarum, conjunctarum symptomatum quotidiè emergentium, in numeris modis varianda, ut verissimum sit illud: Sit sanæ mentis Medicus, qui insanos curare agreditur: Ex occasione multa hic facienda, multa omittenda, multa differenda. Nihil erunt medicamenta, nisi rectè utentem sortiantur. Quare medendi methodus per quam erit necessaria, si ex artis legibus mederi velimus, ne nunç quoque, ut solet etiam inter dogmaticos, occultè oberret Empirica factitatio. Nitimur methodice suscepta curatione indicationibus ordinariis præservatoria, cûratoria & vitali. Hic ante omnia secundum indicationem requiruntur cûratoria remedia, quæ respiciunt ipsum symptoma urgens, quod periculum portendit Eruntq; omnia ea quæ phantasiam & rationem depravatam reducere & animam ab omni pathemate molesto liberare apta sunt facta. Præservatoria quibusvis causis procatarticis, evidentibus & remotioribus.

opponuntur quibz omni studio procuratur, ut Spiritus animales restau-
rentur, Sangvis bonus, tenuis & subtilis generetur & conservetur. Vita-
lia vires conservant Spiritus corroborant & in fluxum vegetum exci-
tare laborant. Medici erit ea legitime in optima forma, quantitate
& tempore tantum indicanti prudenter applicare, idq; nunc sustine-
bimus desumptis remediis ex tribus fontibus generalibus, Diætetico,
Chirurgico & Pharmaceutico.

CAP. VIII. Remedia Diætetica.

§. 1.

*Dietæ Utili-
tas.*

Tanta legitimæ rerum non naturalium administrationis necessitas
& utilitas est, ut sine ea etiam optima quæq; medicamenta non so-
lum parum efficacia, quin etiam sapius noxia sint. Imò sine ea ne
manum quidem ad movendam censet *Galen.* l. d. Curat. per sangv.
Miss. c. 8.

Cura Animi.

§. 2. Quoniam vero Animi pathemata in malo nostro produ-
cendo tanti momenti esse supra dictum, imo melancholia ipsa animæ
passio primario fit, ideoq; ante omnia hic eorum ratio habenda, ut ani-
ma ab iis abducatur. *Cum enim,* inquit *Sylv.* Pr. Med. L. II. c. 14. *i-*
maginatio, seu notionum tum primarū, tum secundarum formatio pu-
rum putum animæ s. mentis, nullo modo autem, ipsius corporis opus sit,
mirum videri non debet, si ejus vitia non proxime corporeis, at intelle-
ctualibus & à ratione sana petitis auxiliis curentur. Consilia & auxi-
lia ipse videantur ap. *Eund.* Idem docet *Gvern. Rolf. Meth. Med. Spec.*
I c. ubi monet, ut Medicus incidens in ægrotum, qui morbo animi ab
imaginatione depravata labore, promptus sit invenire rationes effica-
ces & stratagemata, quæ *Cornel. Cels.* 3. d. re med. c. 18. breviter com-
plexusest, quem vide.

*Exempla eo-
rum, qui per
rationes &
stratagemata
curati*

§. 3. Exempla non nisi per rationes & stratagemata curato-
rum ubivis obvia sunt; pauca adduxisse sufficiet. *Platerus* studio-
sum Medicinæ, qui ranam vivam in ventre fovere se credebat, solis ar-
gumentis sanavit, ostendens ranas rotius vitæ decursum non extendere
ultra biennium *Obs.* l. 1. Sic sola subtilis & arguta *Philotimi* Medici
inventio quendam, qui se capite carere ajebat, plumbeo pilco capiti
repente

repente & castu imposito eleganter sanitati restituit, de quo & similibus curatis vid. *Heurn. Forest. A Laurent. Barthol. Agric. Comm.* in Popp. Falsam imaginationem alius, qui suris se carere sibi persuadebat, industria stratagemate eripuit *Tulpius* obs. l. 1. c. 30, dum suras ipsius inopinato ictu percuti iussit, quorum dolorem ubi evidenter percepit, ab eo ipso tempore convaluit. Idem c. 15. pictorem, qui omnia corporis sui membra instar ceræ flexilia credebat singulari artificio curavit, quod ibidem lego. Qui urinam reddere noluerunt, territi fuerunt, timore de ingenti incendio, vel alio artificio & sic convaluerunt. *Sennert. l. 2. Inst. med. p. 3. S. 1. c. 7. Camer. Laur. Marc. Donat.* Ita decepti & percurati sunt, qui seranas, vel serpentes in ventre, passeres, cicadas aliq; in capite fovere falso crediderunt. Plura afferre nil attinet; prolixius de his legi possunt Auctores à nobis supra citati.

§. 4. Imprimis quoq; animam à pathematibus molestis & coercivis abducit Musica, cui tantum in animi affectibus moderandis tribuisse fertur Pythagoras, ut etiam animas ipsas ex numeris conflatas pronunciarit; Olim quoq; lymphatos Xenocratem carminum modulari vindicasse legimus. Néc tamen quilibet sonus quem libet movebit, sed proportionatum. Huic jungantur quævis alia exercitia jucunda e. g. conversatio, peregrinatio, ambulatio, picturæ &c. quibus forsitan æger delectari deprehenditur.

§. 5. Vix quoq; tutum melancholicos solos relinquere, nam si phantasmatibus & speculationibus mens eorum diutius immorari finitur, subsidet intus & graviores metamorphosis subit; accedit, quod custodia neglecta, tristissimi sæpe eventus contingerint: Exempla habent *Galen. 3. d. loc. aff. Sennert. l. 2. Inst. p. 2. c. 13. Pract. l. 1. p. 2. c. 15. Henr. ab Heer. obs. 27. Plater. Forest. & alii.*

§. 6. De cætero quoad regimen animale somnus omnibus modis procuretur, utpote qui omnibus inquietis & meditabundis supra quævis pretiosus assilandus; mentem demulcet spiritus temperat corpus humectat; vigiliæ verò inquietant, irritant spiritus turbant & intemperiam augent. Literarum cupidi pareant raonito *Marsil. Ficcin. l. 1. d. Studios. San. tuend. Musæ quærendæ horis matutinis, semper autem meminisse juvabit, qualibet hora semel saltem remittendam esse mentis intentionem.* Quibus vita sedentaria malum accersivit, motus

Pathematium Anima disciplina.

Musica

Exercitia jucunda

Custodia & Conversatio

Somnus

Studia

Motus

mōtus corporis moderatus, ambulatio, vectio, peregrinatio &c. ju-
sto tempore, jejuno ventriculo instituta quam maxime profunt: Ver-
rissime Hippocr. L. 1. d. Dixit. *Homo comedens, sanus esse non potest, nisi
etiam laboret.* Sit tamen mōdus in rebus: Mala est nimia defatiga-
tio corporis, peior animi; utriusq; pessima.

Venus

§. 7. Venus non nisi iis, qui ab ejus defectu & desiderio malum
hoc contraxerunt, auxilio est. Ex hac ratione, procul dubio Juvenis
ap. Aret. L. 1. c. 5. usu puellæ à melancholiâ convaluit, & foemina una
nocte quindecim Viris defatigata teste Alex. Bened. Veron. l. 1. c. 28.

Aer

§. 8. In regimine Vitali Aer eligatur tenuis, purissimus, ad mo-
deratam caliditatem inclinans, sive per naturam talis, sive arte paratus.
Noceat frigidus, crassus, nocturnus, nebulosus, borealis.

Cibus

§. 9. In Naturali conveniunt cibi boni succi, non nimis crassi &
facilis concoctionis, uno verbo, alimenta spiriturosa & optima legitime
& temperanter usurpata. Nocent omnia crassa, foeculenta,

Nimis

Acida noxia

muria & aceto condita, fumo nimium indurata & similia. Acetum
jamdudum melancholicis interdixit Hippocr. 3. d. Vict. rat. t. 38. Acida
enim talia figunt spiritus, humores coagulant, incrassant, poros & mea-
tus obstruunt, quæ omnia maximam huic malo ansam præbere ex cau-
sis constat. Sed nocent quoque nimis dulcia & saccharata. Hinc

Dulcia no-
xia

Sylv. Pr. Med. L. 1. 34. §. 100. Non possum me continere, quin mo-
neam Medicos juniores, ut in pituitæ glutinosæ correctione caveant se-
dulo, ne multo utantur saccharo vel saccharatis, inde enim augetur &
glutinosior redditur pituita: Potus etiam sit non nihil largior, sed de-
foecatus, purus, spirituosus, non acescens, foeculentus, putridus. Possunt

Excret. &
Retent.

herbæ antiscorbuticæ spleneticæ, hepaticæ, Cephalicæ e.g. meliss, fumar;
scolopend. beton. rosmarin. &c. eidem infundi, Vinum spiritus res-
taurat, moctorem discutit, obstructions aperit, ventriculum & visce-
ra roborat; Illud verò non sit acidum, austerum, ☐eum, sed spirituo-
sum, Rhenanæ & simile. vid. Sachs. ampelogr. S. VI. c. 6. Alvus quo-
tidie officio suo fungatur, quod nisi fiat, laxantibus Clysteribus & sup-
positoriis stimulanda.

CAP.

Remedia Chirurgica.

§. 1.

Præcipuum & generosum ex his est V. S. quam hic Practici communi serè consensu svadent; Convenit autem tum demum, si indicantia adfuerint & nihil obstiterit. Illa sunt habitus ægri plethoricus, revulsionis utilitas ob hæmorrhoidum, mensium, lochiorum suppressionem; aut venæ Sectionis, alias consvetæ, intermissio: Coindicant & admittunt Ætas adhuc florida, temperamentum præcipue sanguineum & vires nondum penitus fractæ: Omnia si conspirant, nihil V. S. erit præstantius aut utilius, eaque, quantum fieri potest, in principio; antequam hecticus habitus altius menti imprimatur, institutâ, aut etiam, prout Medico prudenti visum fuerit, aliquoties repetita: Non opus erit, detecta jam circulatione sanguinis, unam præ altera eligere venam, nisi revulsionis aut derivationis necessitas id svadeat; quo respectu omnino Viris hæmorrhoidû, & feminis mensium, aut lochiorum suppressione simul laborantibus, commodius tali vena aperietur. Salvatellæ apertio tantopere in hoc malo à Veteribus laudatur, eo quod singularem cum splene & corde communionem habere credatur; quem tamen errorem dudum, detexit S. Sanctior Error. Med. L. III. c. 13. Quantitas verò mittendi sanguinis committitur prudentis Medici & Chirurgi σοχασμῶ. Melius erit in defectu, quam excessu peccare: V. S. Vicem supplere possunt cucurbitulæ scarificatæ, si forsan æger sit αἴμα Φόβῳ, vires collapsæ, habitus corporis simul cachecticus.

§. 2. Vasorum hæmorrhoidalium & clausarum apertio eundem cum V. S. usum habet, atque hic maximi momenti erit, præcipue si ex lumborum gravitate, hæmorrhoidum turgescencia extuacione & dolore cognoveris, humorum decubitus huc fieri, quod alias splenetice & melancholicis familiare: Possunt hæmorrhoidales tam internæ quam externæ aperiri, quod experientia & ratione contra Riolanum probat B. D. D. Sennert M. P. I. III. P. V. S. I. c. 6. Conf. m. Higmor. Exerc. d. Aff. hypochond. 2. C. I. p. 67. & VII. p. 136. Modus aperiendi per hirudines cum Syringe ad missas, imò etiam

V. S.

Tempus.

Locus.

Quantitas.

Cucurbitulæ.

Hæmorrhoidum apertio.

D

per

per infessus, fomenta, suffumigia, frictions linimenta aut suppositoria esse tutissimus; Minimè per phlebotomum monente Crat. Consil. 207. Zacut Histor. Med. princ. L. 1. Hist. 39. seq. Senn. d. Febr. L. 11. c. 5.

Fonticuli & Cauteria.

§. 3. Fonticuli & Cauteria in artubus excitata revera suppleant vicem abscessuum: per quos natura sapius, ut alios gravissimos morbos, ita quoque melancholiam mitigavit, aut etiam curavit; Dum natura varices molitur in cruribus delirium minuitur. Hipp. 6. aph. 21. Redduntur ex his corpora *evigra*; unde si corpus fuerit cacochymicum sero obrutum, ejus salutaris exitus paratur. Locus applicationis erit, quocumque natura vergit, & ubi nullum contra indicans adest: Locatio in syncipite circa suturam coronalis & sagittalis concursus plus periculi quam utilitatis habet. Habet de his plura Fien. d. Cauter. l. 2.

Trepanatio.

§. 4. Trepanatio locum haberet, si materia aliqua putrida intra Cranium stagnaret, nec alius daretur exitus. Unde juvenem triginta annorum melancholia pertinacissima detentam hoc remedio convaluisse tradit Job. Rhod. Obs. 43. Multi quoque fracta Calvaria casu fortuito sunt curati, Vid. Guil. Rondolet. l. 1. Pract. c. 41.

Castratio.

Sic quoque Castratio forsitan non de nihilo, licet etiam periculosa foret; Si constaret, in semine fomitem latere, quod omnium aliorum medicamentorum vim eluderet. Frictions, precipue eum linteaminibus calidis aperiunt poros ex halationi humorum peccantium, vias parant, nec non Δ reas sanguinis particulas langventes in motum concitant: Ligaturae ad interceptionem & revulsionem humorum facere queunt.

Chirurgia Transfusoria & Infusoria.

§. 5. Transfusio & Infusio novi sanguinis & medicamentorum per Clysmaticam novam superioribus annis inventam, sunt remedia magis tenuiter quam utiliter excogitata, uti loquitur Celeber. D. D. Praef. Prael. publ. d. Mania: Praestat tamen nonnunquam anceps, quam nullum remedium adhibere. Transfusionem sanguinis vitali in venam brachialem Maniacum Parisiis feliciter curatum tradit Henr. Petr. Med. Pr. l. 1. Cur. 15. Infusionem v. medicamentorum spirituosorum, confortantium & sudoriferorum in morbis Chronicis profunde radicatis & aliis medicamentis non cedentibus, ad sanguinis debitam fermentationem restituendam, multis ingeniosis rationibus probat.

Excell.

Excell. Etmüll. d. Chirurg. Infus. Curiose autem observentur conditiones & debita circumstantia tam ratione aegri, quam medicamentorum, ne nimia violentia vis Vitalis in M. S. turbetur nimium, aut prorsus dejiciatur, ut idem affectus & ipsi vitae finis acceleretur cum maxima Medici ignominia. Confer. *D. D. Major. Chirurg. Infus.*

CAP. X.

Remedia Pharmaceutica.

§. 1.

Circa medicamentorum pharmaceuticorum administrationem, statim in genere notamus, eadem hic commodius & fructuosius in liquida forma & largiori quantitate propinari, ob cacochymiam plerumque, uti supra dictum, acidam, fixam, siccam, crassam viscosam &c. eamque in locis saepe remotissimis resistentem, ad quae medicamentorum integra vis haut facile penetrare potest; imò saepe in primis viis extingvitur; Non solum hic causas novisse & medicamenta invenisse, sed etiam commodè applicasse juvat; alias licet optima vertuntur in cadaver.

§. 2. Prima cura Medici methodici est, ut via primae ab infarctu humorum vitiosorum, viscosorum liberentur; Praemittit igitur *Lenientia*, quippe quae humorum viscedinem & mucositates blande abstergunt & ad loca inferiora divertunt, ne postmodum purgantium adhibendorum ludatur opera: Nullum, inquit *Communis Germaniae Medicus Sennert l. 1. Scorb. c. 5.* in affectibus melancholicis praestantius remedium ob alvi restrictionem, quam retractionem membranosi generis relaxare & potenter humectare. Praestabunt id preparata ex *Cass. Mann. Tamarind. myrobal passul fol. Senn. fumar. sero lact. caprin. &c. Hieron. Reusner. d. Scorb. Exerc. nullum laxans magis probatur, quam extract. passulat. è fol. Senn. Alex. prunis tamarind.*

Lenientia.

§. 3. Lenientibus commodissime junguntur preparantia sive digestiva, quae *Alexandrensi* humorum crudorum respiciunt, & ob vim incidendi, attenuandi & resolvendi apprime hic conveniunt. Talia celebriora sunt *Radic. 5. aper. maj. polypod. q. Helen. Cichor. Ari. J. Crat. Consil. 107. l. 6.* maxime laudat Rad. Cent. maj. quam *Rhapon-*

Digestiva.]

ficum vocant, Quotiescunqve vero inquit *Montan.* Confil. 264. humores melancholicos humectare & abtergere volueris, fumam fumarum, quam succis adustis conferre; experientia in omnibus terris probavit. Egregia quoque sunt. Epithym. Chamædr. Clamepytha. Card. ben. Centaur. Scolopend. aliaque herbae antiscorbuticae. Huc pertinent præparata ex ☐. & ☉, ut Chryst: ☐ ☐ ☉. Arcan ☐; ☐ Chalyb. *Zuelffer.* Mantyll. Spagy. p. 412. Gummi Amoniac. & similia. Extant etiam composita varia maximè proficua; ut Decocta Aperitiva Aug. *Zuelff.* Splenetic. Eiusd. Nobis magis probantur infusa, quia inter coquendum partes volatiliores medicamentorum facile abeunt; it. ☿, Tinctura & spiritus aperitiv. &c. Utrique intentioni satisfacere queunt formulæ seq.

℞ Rad. 5. aper. maj. a 3℔ polypod. ʒi Rhabarb. Alex. ʒij Herb. cuscut. Chamædr. Chamepyth. a m℔. Summit. fumar. mj. fl. borrag. bugl. a p; Epithym. ʒij fol. Senn. s.℔ 3℔ Cort. citr. arant a 3℔. Crem. ☐. ʒij. Inc. & cont. Infund. per noct. in s. q. feri lactis caprin. ☿ cichor. vel fumar: Mane ebull. leniter. Colat. ℞ ʒiij. Sir. d fumar ʒij M. pro haustu.

℞ Decoct. aperit. D. *Præf.* vel fol. Senn. ʒiij℔. Extr. Rhab. ʒj ☐ ☉ ʒ℔. Ess. fumar. ʒj Sir. d. Cich. c. Rhab. ʒij M. pro haustu. J. Crat. l. 2. Conf. 16. laudat seq.

℞ Passul. min. ʒvj. fl borrag. viol. meliss. a p; Galang. inc ʒj fol Senn s.℔ ʒvj inc. inf. per noct. mane coq. & fortiter exprime. Dantur ʒiij vel IV. cum Sirupo conveniente. Digestiva in specie essent.

℞ Rad. Polypod 3℔. Helen. Cichor. a ʒij Cort. rad. cappari. tamarisc. a ʒj. Herb. fumar. cuscut. Capill. ☐ a mj fl. rosar. viol. meliss. a p. ij Epithym. ʒij Cort. citr. el. Cynam. opt. a ʒj Cryst ☐ ʒj. Incis & cont. d. ad Synd. pro ij mens. vini. optimi. Addi quoque potest tertia pars ☿ fumar li meliss. pro intentione.

℞ Decoct. aperit. D. Schneid. vel al. ʒiij Spir. aper. Penot. 3℔. Ess. fumar. vel Tinctur. ☐ ʒj Sir. fenic. 3℔. M. f. haustu.

℞ Essent. fumar ʒij. Helen. Meliss. Chamædr. a ʒj. M. d. gt. 40. & ad 50. cum haustu vini.

℞ Essent.

℞ Essent. Chalyb. c. vin. malv. impregn. ℥℔. d. ad vitr. dof. gt.
40 vel ultr. & moyeatur corpus.

℞ Arcan. ♀; Tinctur. ♀ ā ℥ij M.

℞ Tinctura. ♀ ℥ij Ess. ♂ liqv. ℥ij M. d. gt. 25.

℞ Crem. ♀ albiss. ℥℔ Croc. ♂ aper. ℥ij ♂ diaphor. vel Co-
rall. pt. ℥ij. Essent citr. gt. vj. M. f. pulv. d. ℥ij circiter.

℞ Pulv. Cachect. *Qverc.* ℥j stomach. Ejusd ℥℔. oc 69 pt.
Cōrall. pt. Trochisc. d. eupator. ā ℥j. M. f. pulv. d. ℥℔.
circiter.

℞ Troch. d. capp. d. eupator. ā ℥℔ Extr. gent. Cent. min. a.
q. s. M. f. pilul. digestiv. pro dof.

℞ Gum. ammon. + Sol. & inspiss. ℥℔. Tinctur. Croc. ℥℔.
⊖ absynth. ⊕. ♂ ā ℥℔. Croc. ♂ aper. rubr. ℥j
mast. el. ℥ij Elix. prop. q. s. M. f. pilulæ exiles. d. ℥℔.

§. 4: Ex hoc ordine quoque sunt Clysteres alvum hume-
stantes, laxantes & obstructions referantes. Usus eorum præ ca-
teris maxime conveniens erit, si dolores tormina, & flatus ventris
simul urgent; si debilis ventriculus, aut fastidium per os assumen-
dorum propter morbi diurnitatem. Parantur ex emollientibus
& aperientibus Rad. Alth. Lil. alb. asparag. foenic. Herb. 5. emoll. fl.
chamœm. Rom. Lil. alb. Prun. Passul. sem. lin. &c. quibus pro flatibus
discutiendis carminativa commodissime maritari poterunt: e g.

Clysteres.

℞ Rad. Alth. ℥vj Herb. Malv. Mercurial. Fl. Chamœm. Mē-
lil. ā. m℔. Sem. foenigr. L in ā ℥ij Prunor. d. n. xv.
Inc. & Cont. Coq. in s. q. ∇. s. ℞ Colat ℥vij. Mell.
ros. sol ℥j. Elect Diacathol Diaphan. ā ℥℔. Oleum Lil.
alb. Aneth. ā ℥j. M. f. Clyster Emoll.

℞ Rad. Alth. Asparag. Foenic. ā ℥j. Herb. 5. emoll. ā m℔
Fumar. m℔ Sem. Anis. foenic. Carv. ā ℥ij Fol. Senn. Al.
℥vj Prunor. d. n. vj Coq. in s. q. ∇. s. ℞ Colat
℥vij vel ultra Elect Lenitiv. s. Bened. Laxat. ā ℥℔.
Oleum Chamœm. Aneth. vel Cappar. ā ℥℔. ⊖ ♀ ℥j
Vitell. ovor. n. ij M. f. *Clyster.* Emolliens & flatus
discutiens.

§. 5. Nunc quoque intestinorum Saburra non solum *Purgantia.*
abstergi, sed etiam impuritates sanguinis fluxiles blande emulgeri
queunt

queunt purgantibus in specie dictis. Fortiora tamen propter ubi-
dominantem humorum fixitatem & viscositatem vix suadenda. vid.
Sylb. l. 1. Pract. c. 2. F. O. Grembr. l. c. l. 2. c. 1. Utilissime monet
Job. Crat. Conf. 16. l. 2. *Etsi sciam omnes fere praticos consulere,
fortissima & validissima purgantia; tamen à Mesue persuasus, idem
facere debile medicamentum repetitum; & minore periculo; sane cur
mibi aliud persuaderi patiar.* Prestabunt hic melanagoga & phleg-
magoga communiter dicta & invicem juncta.

Sint Mela-
nagoga &
phlegmago-
ga.

§. 6. Ex Melanagogis laudem certe meretur Senn. Alex. inter
omnia purgantia leniora maxime ἐπιτομας & quasi domestica,
quæ fere semper juvat, nunquam lædit, uti loquitur. *Excell. Wedel. d.
Fac. Med. L. II. S. I. C. V. & Crat. l. 2. Conf. 14.* Senam tutam esse
scio quæ crebro, vel singulis saltem septimanis semel sumatur. Huc
tanquam maxime appropriata purgantia ab Antiquis referebantur
Lapides Armenius & Lazuli. Sed uti monuit *Magnif. D. Profes in
Colleg. Pharmaceut. privato, Armenius nullius plane efficaciam de-
prehenditur & hodie merito negligitur: Lapis vero Lazuli non tam
purgat, quam alterat, absorbet, præcipitat humores acidos, quo re-
spectu etiam melanagogis, & phlegmagogis commodissime adhuc
misceri potest cum felici & exoptato eventu, uti notavit *Laudat:
Wedel l. c. l. II. S. II. c. 4.* Huc pertinent Elect. Diasenn, Decoct.
fol. Senn. Pulv. Senn. *D. Sennert.* vel Montagn. Extract. Hell. nigr.
c. Sp. Vin. parat. Oxymell. Helleborat. M. P. *¶ Ex. D. Sennert,
Schröder. Quercet.* Extr. melanag *Quere.* Panchymag. *Croll.* Sirup.
d. pom. &c.*

§. 7. Viscidam Pituitam acciditati hostili alumnam feliciter
abstergunt & educunt. Rad. Irid. Mechaocan. Chialap, Trochisc.
alkhandal. Agar. Trochisc. &c. *¶* dulcis rite præparatus omnino hic
quoque laudandus; utpote qui non solum præ omnibus aliis humores
viscosos egregie liquat, coagulationes impedit; humores fluxiles ma-
xime reddit, adeoque obstructions feliciter expedit, sed etiam im-
puritates sanguinis acidas, scorbuticas, fixas potenter exturbat. Vid.
*Wedel. & Fac. Med. L. II. S. II. C. IV. & S. III. C. VII. P. 7. Faber.
Pathol Spagy 2. c. 45.* Noxas tamen ejus vitare monent *Wedel l. c.
Willis pharm. Rat. p. I. S. 2. Sennert. d. Conf. & Dissens. c. 18. &
paralytom. p. 98.* Hic saltem notamus, quod feliciter cum aliis de-
tur,

r, q via paulo seignior est, & quidem commodius in bolo, vel pilulis, ne dentes, quibus admodum infestus, attingat. Sufficerent ferè formulæ laxantes. Iis tamen unam vel alteram hic adjungere placet.

- ℞ Rad. Cichor. Polypod. q. ā ʒß. Herb. fumar. meliss. beton. ā mj Fl. Hyper. anagall. phœnic. ā p iij Cort. tamar. Cappar. ā ʒiß. Fol. Senn. fl. ʒj. Agar. rec. Troch. ʒiij Rhabarb. Chialap. ā ʒij Crem. ℞ Div. Cinam. opt ʒj ppt. ad Synd. pro Vin. ℞iij ∇ cichor. & meliss. ā ℞ß.
- ℞ Decoct. fol. Senn. ʒiijß. Extr. panchym. Croll. ℞ß. Helleb. nig. gr. vj. ℞ ∅l. gr vij Sir d. pom. Lax. ʒij ∇ cinam. ʒi. M. pro haust.
- ℞ Pulv. Dia Senn. D. Sennert: ℞j. polychr. D. Schneid. g vj ℞ ∅l. g iv. M. pro dof.
- ℞ Pulv. Chial. opt Lap. Lazul. pt ā ℞j. polychrest. gr iij M.
- ℞ Pulv. Chial. resinof. ℞j ∅ dulc. ℞ß. Conserv. fumar. ʒß. M. f. Bolus.
- ℞ M. P. ℞. D. Senn. g Xvj Extr. ∅ helleb. vel melanagog. ℞ß. Resin. Scamm. g. iij C. ess. fumar. f. pil.
- ℞ Extr. panchym. Croll. g Xvj. ∅ dul. g vj. Resin. Scamm. g j c. ess. meliss. f. pil.

§. 8. Sed interdum saburra humorum, præcipue pituitosorum in melancholicorum ventriculis abundat & fluctuat; eam in consuetis, nauseabundis & ἐναπετόις commodissime eliciemus vomitoriis è ℞ro ʒio & ʒio rite paratis. Sunt magis catholica emetica, quæ quamcumque Saburram in ventriculo restagnantem exturbant; Selectiora tamen placent.

Vomitória.

- ℞ ℞ emet. Mynf. g iij Fœc. bryon. l. Ari ℞ß. Ela osacch. cinam. par. M. f. pulv.
- ℞ Vitr. ʒ. vel Croc. Metall ā g. V. ad ℞ß. Infund. per ∅ in Vini generof. ʒij Mane optime col. pro haust.

§. 9. His præmissis, si quoque colluvies quædam & fœculentia humorum ad vias urinarias tendere observatur, Medicus Naturæ Minister eandem Naturæ intentionem promovet & medicamenta Diuretica subjungit; Satisfaciunt simul hæc egregie, aperiendo

Diuretica.

aperiendo obstructions & resolvendo; unde communiter dicitur, Diuretica esse optima aperientia & vice versa. Magno cum fructu hic usurpari poterunt toties à *Sylvio* dilaudata \ominus ia volatilia, quæ diutine, etiam una cum alimentis adhibita non tantum pituitam glutinosam s. melancholiam incidunt & emendant, sed etiam ejusdem partem potiore ad urinarias vias propellunt. Talia erunt \ominus volat. \square , Succin. C. C. Urin. Spirit. & flor. * Spir. \square &c. Sed profunt quoque Alcalina \ominus na, vel Terrea, quæ pariter pituitam viscosam liquant, fundunt, aciditates corrigunt, præcipitant & ad vias urinarias mittunt. Sunt e.g. \ominus genist. Card. ben. Cent. min. Tinctur. \square . lapid 69 &c. Acida, Media & Aquea denique in coagululum abiens serum feliciter corrigunt & dissolvunt: Aquea præcipue, ubi serum ipsum deficit, magnaque pars fœculentiarum crassarum restitat: Huc faciunt Spiritus accidi, Arcan. duplicat. \square rus \oplus lat. serum lactis, sem. 4. frig. maj. Thermae, Acidulae. Acidulae naturales & artificiales, ratione salis sui esurini virtuosæ mucilagines strenue abstergunt & \square rum s. coagulatum excrementum altius in viscerum penetralibus pro reptum expediunt, \ominus ibus per lotium & intestina recedentibus; Et quod insignis emolumentis, viscera quoque nimis laxa adstrictione sua corroborant. Confer. *Willis Path p. II. c. XI. Syb. Prax. Med. L. I. C. 5. Swahn Disquis. Therap. gen. S. V. p. 99.* Hic autem sobrietati studendum: Medicamenta convenientia præmittenda & conjungenda, quid & quantum stomachus & reliqua viscera ferre possint, attendendum. Post earum usum, motio, si fieri potest, per vices & lenis instituitur; cibus non nisi quando stomachus ab acidulis liberatus, sumatur. Si formulæ placent.

Acidula.

Cautela.

- \mathcal{Z} Essent. aperit D. Schneid. \mathcal{Z} ij Spir. \square \mathcal{Z} β. * \mathcal{D} j M d. gt. 25. & ultra.
- \mathcal{Z} Tinctur. \square \mathcal{Z} ij Ess. succin. \mathcal{Z} j M. d. g 30.
- \mathcal{Z} Spir. aperit. Schneid. \mathcal{Z} ij \oplus dule. Ejusd. \mathcal{Z} j Ess. Croc \mathcal{D} j M. d qt 40.
- \mathcal{Z} Arcan. dupl. Mynf. \ominus genist. ā \mathcal{D} j oc. 69. pt. \mathcal{Z} β. M. d. in dupl.
- \mathcal{Z} Sem. 4. frig. maj. ā \mathcal{Z} j papav. alb. \mathcal{Z} vj f. c. ∇ petros. fœnic.

nic ā q f. Emulf. add. magister. oc \mathfrak{S} 3j Spir. frag. $\mathfrak{Z}\mathfrak{B}$
M. d. pro liquor vicibus.

§. 10. Sed ne quicquam deficere videatur, diaphoretica inter- *Sudorifer.*
terdum interpolari possunt; Alias, cum serum hic plerumque deficiat, acidum contra abundet (ubi magis precipitandum quam discutendum) parcius iis utendum judicamus, & quidem quæ acidum quod sanguinis serum ligans destruunt, temperant, absorbent: Ut \mathfrak{S} diapor. Bez. miner. $\mathfrak{O}\mathfrak{L}$ e. oc. \mathfrak{S} . Corall. C.C. phil. pt. Ebur pt. Spir. fulig. \mathfrak{C} .C.*. & similia. Formulæ possent h. m. formari.

\mathfrak{Z} Spir. Sudorif. D. Schneid. 3j. Mixtur. f. 3ij. M d. qt 40.

\mathfrak{Z} Spir. C.C. vol. Essent. Succin. ā $\mathfrak{Z}\mathfrak{B}$. M pro dosi.

\mathfrak{Z} Spir. C.C. vol. * ā 3j M d. qt 40.

\mathfrak{Z} Essent. Card. ben. 3ij fumar. Meliss. Chamædr. ā 3j Tinct. Bez D. M 3iß M. d.

\mathfrak{Z} ∇ Card. ben. Chamædr. Fœnic. ā 3j, \ominus Card. ben. $\mathfrak{Z}\mathfrak{B}$. Spir. * 3j. Sir. fœnic. 3iii M. pro haustu.

\mathfrak{Z} ∇ Card. ben. fumar. ā 3j Mixt. f. camph. vel Spir. \mathfrak{C} 3j. Sir. Cinam. 3iij M pro haustu.

\mathfrak{Z} Arcan. dupl. 3j C.C. phil. pt. Bez. min. ā $\mathfrak{Z}\mathfrak{B}$ M. d. in duplo.

\mathfrak{Z} \mathfrak{S} diaph. 3j \ominus Card. ben. Cent. min. ā gv Elæosacch. citr. parum M.

§. 11. Habent quoque locum evacuantiæ particularia Saliva, Apoplegmatisantia & Errhina. Salivalia præcipue *Evacuanti*
maximè inveteratas viscositates liqvant & evacuant, ob partes *particularia*
Olinas, acetosas & \mathfrak{A} reas volatiles, quæ receptæ intimius à calore actuantur, & serum, ubi quasi vehiculum acquirunt, ad motum magis incitant & fundunt: Dantur interius & exterius: Interne sufficit unicus \mathfrak{Q} \mathfrak{C} dulc. Externe applicatur cum Ungventis & Emplastris, qualia sunt Ungv. \mathfrak{O} le Rosinc. Empl. Vigon d. ran. \mathfrak{O} . Cingulum sapientiæ Rulandi &c quæ satis nota sunt. Apoplegmatisantia erunt Sinap. Cubeb. mastich. cariophyll. arom. aliaque cephalica. Vel Errhina. e.g.

\mathfrak{Z} Pulv. Major. Origan. Lil. convall. ā 3j Mosch. elect. g iij Ole. still. rorismar. l. major. g. ij M. f. pulv. subt. naticibus attrahendus.

E

§. 12. Præ-

*Alterantia
& Confortantia.*

§. 12. Præmisso evacuantium apparatu, succedunt alterantia & corroborantia i. e. quæ sanguinis & humorum aliorum indolem & crasin genuinam reducunt Spiritus deperditos dejectos aut contaminatos erigunt, restaurant & Capiti, Linie, Ventrículo cæterisque visceribus coctioni famulantibus debitam crasin reddunt: Idque præstant ipsa præparantia antea data; Sed præcipue medicamenta multo Spiritu volatili prædita, aromatica aut omnia sale volatili & oleoso pollentia: ut Cephalica & Cordialia Bëtonic. Rorismarin. Lavendul. Meliss. Helen: Lil. Conval. Borrag. Bugl. aromata ipsa & similia *Rondolet.* in meth. curand. morb. c. 9. Helenium miram vim & proprietatem ad hilaritatem & gaudium excitandum habere tradit. Idem perhibent Practici de melissa. Generosa sunt Θ ia volatilia oleosa Sylvi *it.* Spiritus volatiles, præcipue * quem insigniter melancholicos hilares reddere observavit *Deckerus* in Not. ad Prax. Barbett. p. 9. quem etiam in potu communi dari svadet *Wedel* d. fac. Med. l. i. S. III, c. 8. Præstant quoque Spir. \square . fuligin. C. C. vol. vit. *D. Schneid.* Huc faciunt spec. diamb. diamosch. d. Gemm. Latif. Rhaf. & Galen. d. hyacinth. Confect. alchem. &c. Laudanda tamen etiam sunt *Terrea* quæ acidum felicissime absorbent & humorum fluiditatem ac volatilitatem restitunt: Ex hoc censu sunt Corallia à *Glaubero* maxime laudata; Lapidis pretiosi, Lazuli Margaritæ, Bezoar, quem *B. Sennert.* L. i. Pract. c. 12. p. 110. adversus omnes melancholicos morbos valde utilem esse probat, oc. 69. & similia. Sic quoque *Cinnabarina* nervoso generi alias admodum amica & dolorem demulcentia omnem aciditatem generose, infringunt, & fluiditatem sanguini reddunt. Denique etiam *Aqvea* usum habent absorbendi, diluendi & siccitatem præcipue temperandi. Quo respectu potissimum in melancholicis alias sæpe à totius corporis habitu aridis, squalidis, strigosis & tabidis maxime danda sunt humida & aqvea, ut potiones & emulsiones. Formulas ex his cuius intentioni convenientes concinnare, Medico erit facillimum.

℞ Sem. 4. frig. maj. ā ʒi. pap. alb ʒʒ. amygd. d ʒij ∇ fl.
borrag. bugl. ā ʒij Lil. Conv. Ceras. nigr. Rosar. Til. ā
ʒj Cinam.

- ʒj Cinam. ʒß. F. S. a. Emuis. ad. Margarit. pt. vel. sal-
 tem oc. ʒ pt ʒj pulv. analept. fr. ʒß. Rotul. man.
 Christ. perlat. ʒij M. vel.
- ʒ Sem. Melon. ʒß. pap. alb ʒvj Decoct. hord. ʒbj f. f. a. E-
 muls. adh. Julep. viol. ros. ā q. f.
- ʒ ∇ Meliss. ʒiv. Lil. conv. til. ceras. nigr. ros. opt. ā ʒj.
 Cinam. ʒß Corall. rubr. pt ʒß. Margarit. pt ʒj Sacch.
 q. f. M.
- ʒ Ser. Lact. destill. ʒbj. ∇ Meliss. borrag. Cord. Herc. Sax.
 ā ʒj Sir. Acetos. citr. Corall. ā. ʒj Jul: d. gemm. ʒß.
 Spir ʒl. q. f. ad grat.
- ʒ ∇ Meliss. Anagall. ā ʒiß. Essent. meliss. ʒij Sir. beton. ʒijj
 M. pro haustu.
- ʒ Tinctur. Corall. opt. ʒß. d. ad vitr. d. gt ʒo.
- ʒ Essent. ʒ liqv. ʒij Tinctur. Corall. ʒj M dos. cad.
- ʒ Magister. Corall. perlar. ā ʒß. ʒ ʒ ʒ g vj. M.
- ʒ ∇ puleg. fœnic. ā ʒij vit. Matthiol. ʒß. Spir. * ʒiß Sir.
 fœnic. ʒß M. pro ij dos.
- ʒ Magister. Corall. oc. ʒ ā ʒj Croc. ʒ aperit. ʒß. ʒl
 ʒ g iij Oleum Cinam. g ij M f. pulv. in ʒpl.
- ʒ Conserv. borrag. bugl. meliss. ā ʒj. Helen. ʒß. Myrobal.
 condit. ʒvj. Confect. alcherm. ʒiv Spec. Laticif. Rhas.
 d. Gemm. fr. ā. ʒj. Sir. Corall. q. f. f. Elect. D. qvant.
 Nuc. jugl. superbibendo haust. vin. Meliss. vel Julep.
 appropr.
- ʒ Spec Laticif. ʒj Diarrhod. Abb. ʒij Helen. condit ʒj Co-
 rall. rubr. pt. Margarit. pt. ā ʒß. Ebor. f. Δ. pt. ʒiß Sacch.
 opt ʒß. in f. q. ∇. meliss. sol. f. f. a morsul.

S. 13. Habent quoq; Practici hic Specifica & appropriata ut
 sunt Hyacinth. Chrysolit. Granat. Saphir. Corall: Lap. Lazuli, Armen. *Specifica.*
 Anagallis, Crocus, Contrayerv. Clinopod, aliaqve. Hyacinthum
 pulverisatum per ostiduum adhibitum multos melancholicos inte-
 gre curasse gloriatur *Cardan.* Curat. mirab ʒ. Idem de Chrysolit-
 to affirmat *Saxonia & Jonston.* l. 8. p. 362. Anagallis phœniceo
 E 2 flore

flore salus Fatuotum communiter laudit, in qua etiam precipue
 arcanum contra Maniam latere, experientia probat *Rolfincius* in
 Epit. Cogn. & Cur. Morb. d. Mania *Theophrast.* l. 1. d. virib. membr.
 c. 5. maxime laudat Crocum, è quo etiam Oleum praparat, quod
 senibus & melancholicis summam lætitiã esse perhibet. Idem
 commendat Liqvozem \mathcal{D} . Corall. Saphir. & Spir. Gillæ. Alij \ominus
 \mathcal{Z} . Sangvinem asini ex venis post aures extractum & pulverem se-
 cundinæ *Hartmann.* in Chimiãtr. Militem quendam inter præsidi-
 diarios *Cæsarianos* Svinfurti solo eiu litorum alborum à mel-
 ancholia convaluisse observ. *Job. Laur. Bausch.* Physicus quon-
 dam Svinf. Sched. d. Cœrul. & Chrysoc. Sunt plura alia, quæ ta-
 men, si quod res est, dicendum, partum insufficientia partim super-
 flitiosa sunt. Merentur laudem inter alterantia lapides illi, Tinctur.
 \mathcal{D} , anagallis, crocus & similia, si cum ratione adhibentur, minus au-
 tem sola sufficiunt. Quæ verò de sanguine asini, corde lupi pulv.
 secundin. & similibus afferuntur, sapiunt aniles fabulas.

*Melanch. à
 Venenis.*

\S . 14. Melancholia à phlitis & venenis hisdem hæctenus
 dictis rationibus curatur, præter quod, quamprimum veneni hau-
 sti suspicio adsit, à vomitoriis incipiendum; usque hinc statim
 alexipharmaca subjungenda, quæ est illud *D. Senneri.*

\mathcal{Z} ∇ Card. ben. Scorzon. à \mathcal{Z} ss Theriac. \mathcal{Z} ij Terr. Sigill. \mathcal{D} j.
 Matr. perl. vel C. C. phil. pt. Succin. alb. pt. à \mathcal{D} ss. Lap.
 Bez. or. g ij Extr. Gentian. g iv Spir. \mathcal{D} l g vij Sir. ace-
 tof. citr. \mathcal{Z} ss. M. pro haustu.

Topica.

\S . 15. Inter externa precipue commendanda sunt balnea &
 lotiones capitis non solum, sed etiam pedum & totius corporis
 ob vim humectandi, humorum acrimoniam & fervorem
 temperandi ac diluendi, vigilias & phantasmata mitigandi
 insignem. Cujus illustre exemplum affertur in Colleg. Curios.
 Germ. A. VI Cbf. 54. Conf. quoque *Galen.* 3. d. loc. Aff. c. 7.
Mab. Inst. Med. p. 522. *Wedel.* d. Compos. Med. Extemp. d. Bal-
 neis. Conducunt Balnea ∇ æ dulcis & ex Decoct. fol. Lactuc.
 Nymph. Salic. Ruth. Malv. Alth. Fœnuigr. Chamœm. Capit. pa-
 pav. &c.

Fomenta.

\S . 16. Huc pertinent quoque fomentationes ex ejusmodi
 herbis cum Sacculis Capiti applicatæ. Crat. in Consil. fol. 497.
 præter

præter alia singulis diebus vel certe alternis capiti adhibet jecur vitulinum calidum. Idem præstant Columbæ & Gallinæ vivæ discriptæ & Capiti raso impostæ: Sic *Amatus Lusitanus* præcipue per Columbuni & Catulum dissectum & posteriori capitis parti impostum foeminam melancholicam curavit. Fomentum speciale descriptum vide sis ap. *Schenck. l. 1. arcan. p. 52.*

§. 17. Aliquibus in hoc affectu curando familiaria sunt *Amuleta*; hinc svadent gestationem Adamantis, Smaragdi, Urticæ cum quinque folio, Hypericon aliaque; Nos iisdem parum aut plane nihil tribuendum putamus.

§. 18. Symptomatibus aliis simul urgentibus vel ex dictis, vel propriis fontibus satisfaciendum: Vigiliarum tamen adhuc plerumq; quam maxime urgentium, paucis rationem habebimus; Hæ enim nisi hactenus dictis & ordinatis remediis præcipue alterantibus cedant, omnino specialia requirunt: Anodyna tamen hypnotica & opiata caute adhibenda censemus cum per eorum usum humores crassi viscosi & fixi magis compingantur & incrassentur, siccitas magis augeatur. Vid. *Wedel. l. c. d. Anodyn. & Narcot. Willis: path. p. 2. C. XI. Pharm. Rat. P. I. S. VII. C. I.* Præstant humectantia; lymphæ defectum restaurantia, aeredinem temperantia & diluentia, præcipue emulsionés substantiis & cæteris quædam energia humectantes. Quibus si urgente necessitate prudenter etiam opiatum junxeris, eo felix & quasi insigni stratagemate effectum suum præstabunt. Præter supra data igitur addimus seq.

℞ Sem. 4. frig. maj. ā ʒj papp. alb ʒʒ ∇ borrag. bugl. nymph. ros. ā ʒʒ f. s. a Emuls. ad. Rot. man. Christ. perl. ʒij M.

℥ Lactuc. Nymph. alb. Borrag ā ʒj Confect. alckerm ʒj Tinctur. laud. op ʒʒ M. pro haustu.

℞ ∇ Nymph. viol. ā ʒj Conf. alckerm. ʒj Laud op. g iʒ Sirup. pap. err. ʒij M. pro dof.

℞ Tinctur. approp. *D. Schneid.* ʒj fl. pap. errat. ʒij Laudan. opiat ʒʒ. Extr. approp. *D. Schneid.* g j. M. d gt 30 & ultra.

E 3

§. 19. At-

Præservatio.

S. 19. Atque hæc sunt rationes quibus affectum hunc gravissimum mitigari & extirpari posse, judicavi. Iisdem etiam ab imminente quis præservari poterit; modo tempus idoneum sive ad imminens, sive ad intermittens observetur: Præcipue Vere & Autumno, solemnes medicinæ cursus initi possunt & debent. Phlebotomia infantibus æquinoctiis pharmacia diebus intervallis Medici prudentis judicio administrantur. Tantum hac vice.

S. D. G.

CLARISSIMO
DN. M. CHRISTIANO
VATERO,
MEDICINÆ LICENTIANDO
DIGNISSIMO

S. D.

CONRADUS VICTOR SCHNEIDERUS,

Philos. & Med. Doctor ac Professor Publ.
p. t. Rector & Decanus. &c. &c.

IS demum *Medici* nomen consequitur, qui scit Morbis efficacissimè mederi. Id cogitasti probe CLARISSIME CANDIDATE, id egisti, in id toto pectore hæcenus incubuisti. Primum eò laborasti, ut corpus humanum haberes exquisitius perspectum; ut quidam olim,
teste

teste *C. Celfo* præceperunt : cum in interioribus partibus & dolores & morborum varia genera nascantur, neminem putant ii his adhibere posse remedia, quæ ipse ignoret: Necessarium ergo esse, incidere corpora mortuorum, eorumque viscera atque intestina scrutari. Neque enim cum dolor intus incidit, scire quid doleat, eum, qui qua parte, quodque viscus intestinumve sit, non cognoverit: Neque curari id, quod ægrum est, posse ab eo, qui quid sit, ignoret. Et cum per vulnus alicujus viscera patefacta sunt, eum, qui sanæ cujusque colorem partis ignoret, nescire quid integrum, quid corruptum sit. Ratione corporis igitur satis comperitâ, vales insuper futurorum peritia, ut multo ante, quam mala corporis sunt timenda, sagaciter prospicias. Nec inde curabis tantum valetudinem, sed etiam reges. Jamdudum, statuisti eligere potius remedia, quam colligere: Horres ea, quæ à superstitione non abhorrent: Mittis & illa, quæ in majus laudata, neque boni quidquam langventibus neque mali faciunt. In promptu habes & efficacia medicamenta neque pauca; quemadmodum *Asclepiades*, teste *Marcello* libr. *Parascevon* i. e. præparationum, contendit ultimæ fortis esse Medicum, qui non ad singula quæque vitia binas, ternasve compositiones & expertas & protinus paratas habeat. In iis nullus est metus damni, emolumentum autem spes quam maxima. Imprimis id quoque operam dedisti, ut cognosceres semina & causas morborum, uti hic *Deliriorum*; Hæ hactenus sefellerunt. Quænam forent veræ & certæ, incertum huc usque fecit diversitas docentium: Nunc sunt eruta & in lucem data: Harum veritatem tueri scientissime vales ac stabilire: Ad illas & ad omnium morborum reliquorum, causas scis viam medendi dextrè solerterque & perite applicare. Adeo nihil TIBI in exercitatione medendi deest. Contigit TIBI, CLARISSIME MAGISTER, Ingenium in
cogno-

cognoscendo & discernendo circumspectum & sagax, Natura benevola, laborum patiens, plena humanitatis, cupida auxiliandi, studium conciliandæ hominum gratiæ ac promerendi amoris favorisq; colligendi, valdè quam efficac. Quæcunq; Sparta itaq; TIBI nunc contigerit, eam ornabis; Non ex illa autem sola TE spectari patieris; Mereri prius vis virtutis insignia, non ea inconsultè & cupidè ambire. Non nudius tertius aut superiori proximo anno capisti Medicæ arti navare operam: Inter tua monumenta literarum etiam experimenta artis Medicæ dare statuisti. Quemadmodum igitur CLARISSIME CANDIDATE multis es exemplo ad imitandum, ita langventibus eris salutî. Adeo Deus tuos labores, & eos, quos merentur illi, Honores fortunabit. Dabam Witteberg. VIII. Januar.

A. C. M. DC LXXX.



05 A 1335

ULB Halle

3

003 781 046



Wort





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.



42.

O. M. A.
 EM INAUGURALEM
 DE
NCHOLIA
 SEU
O TRISTI,
ultatis Medicæ VVittebergensi,
 PRÆSIDIO
 S MAGNIFICI,
 II, AMPLISSIMI, EXPE-
 NTISSIMI
ADI VICTORIS
NEIDERI,
 Prof. Publ. longè Celeberrimi,
 enioris Venerandi, Potentiff.
 andenb., nec non Princip. Anhalt.
 ici felicissimi,
ptoris ac Promotoris mei religio-
smè colendæ,
 Pro
ENTIA
 es & Privilegia in arte Medica
Doctoralia
 Examini submittit
ANUS Vater / Jüterbog.
ry A. C. M DC LXXX.
nte & pomeridianis.
TENBERGÆ,
RISTIANI SCHRÖDTERI.

